



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac
subsídium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

§. 12. De Discordia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

nascitur, facillè tollet, & cum ea tanquam radice ipsa
etiam odii vitium exterminabit.

IV. Tertium est, ut sciat, quomodo se gerere
debeat, si ipse fortè causam odii dedit alteri, videlicet
si æqualis est, sequendo consilium S. Augustini dicitur
tis: Ipsos imprimis admoneo, quicumque habetis
cordiam cum Fratribus vestris, & revocatis ad vos,
consideratis vos, & justum iudicium fertis vobis
in cordibus vestris, & invenietis vos non debuisse facere,
quod fecistis, non debuistis dicere, quod dixistis.
Petite veniam Fratres à Fratribus vestris, facite Fratres
bus, quod ait Apostolus: Donantes vobis ipsis, sicut
DEUS in Christo donavit vobis. Nolite erubescere
veniam petere. Si autem Superior sit, qui offendit
aliud ejusdem Sancti consilium audiatur, dum ait: Ante
oculos DEI pœniteat eum, ante oculos DEI puniatur
suum, & si non potest dicere servo suo, quia non oportet,
da mihi veniam, blandè illum alloquatur; blanda
enim appellatio veniæ est postulatior.

§. XII.

De Discordia.

I. Est juxta S. Thomam 2. 2. q. 37. a. 1. quædam
voluntatum disgregatio in diversa; de qua speciatim
liter tria notanda sunt Ascetæ.

II. Primum est, ut sciat, quando permittere possit
fit dissensiones; nam ut sapienter dixit S. Augustinus
dissensiones nunquam debent amari; sed aliquando
men aut ex caritate nascuntur, aut caritatem probant.
Quis enim facillè invenitur, qui velit reprehendi? &
ubi est ille sapiens, de quo scriptum est: Corripe sapien-

pientem, & amabit te? Nunquid tamen ideo non debemus reprehendere, & corripere Fratrem, ne securus tendat in mortem? Aliam causam permissionis affert S. Gregorius, dum ait: Sicut noxium esse solet, si unitas desit bonis, ita perniciosum est, si sit in malis; perverfos quippe unitas corroborat, dum concordant, & tantò magis incorrigibiles, quantò magis unanimes fecit. Id quod appositè per fabulam confirmavit non nemo, dum finxit. Accipitres quondam acerrimè inter se belligeratos fuisse. Quos proin Columbæ pacificare conatæ effecerunt, ut ipsi quidem inter se concordessent, sed odium in columbas converterent, easque ad necem usque persequerentur. Hinc Melanthis dicere solebat, Rempublicam Atheniensium diffidiis Oratorum servari, quòd cum non incumbant universi in unum latus navigii, fiat, ut ab altera parte veluti pondere opposito administratio libretur.

III. Alterum est, ut sciat solidum modum vitandi discordias, quem quidem pulchrè S. Gregorius indicavit, dum dixit: Boni viri freno consilii retinent præcipationem Verbi, & cautè considerant, ne relaxantes linguæ lasciviam Auditorum conscientiam incauta locutione transfigant. Unde bene per Salomonem dicitur: Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. Aqua quippe dimittitur, cum linguæ fluxus effrenatur. Sed dimissor aquæ caput jurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam discordiæ origo propinatur.

IV. Tertium est, ut solidum quoque medium sciat sedandi discordias exortas; quale quidem S. Ambrosius assignat dicens: Illæ commotiones in Pueris innoxie sunt, quæ plus habent gratiæ, quàm amaritudinis. Et si citò Pueri inter se moventur, facilè sedantur, & majori suavi-

suavitate in se recurrunt. Nesciunt se subdolè, artiosèque tractare. Nolite contemnere hos pueros de quibus Dominus ait: Nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Aliud medium suggestit alius, qui dixit: sicut tormenta bellica majora si muro allidantur, perforant; si in saccum laneum deferantur, non penetrant & sine noxa sunt; ira litigantes ac contentionum amatores si in mitem incurrant, vim amittunt nocendi; autem in sui similem offendant, utrinque detrimentum contrahitur.

§. X I I I.

De Acedia.

I. Est tœdium Spiritualis boni, quo quis negligenter bona debita inchoare, aut cœpta perficere, ut S. Bernardus describit; de quo, cum ijs, qui perfectioni student, maximè periculosum sit. Meritò Asceta in extirpationem illius totis viribus incumbere, &, quoniam tepiditatis potissimum nomine apud viros DEO sacrato exprimitur, tria de illa specialiter advertere debet.

II. Primò itaque bene apprehendat, quid sit Tepiditas ista, & quæ sint Indicia illius; nimirum quòd aliud nihil sit, quàm remissio Fervoris in prima conversatione concepti: nam, ut S. Bernardus sapienter advertit, tepescimus processu temporis à fervore conversationis nostræ: Paulatim refrigescit caritas, abundat iniquitas, ut consummemus carne, qui Spiritu cœperamus: inde enim est, ut minùs ea sciamus, quæ à DEO donata sunt nobis, indevoti pariter & ingrati. Timorem Domini relinquimus, Religiosam omittimus solitudinem, verbosi, curiosi, faceti etiam detractores &

Mur-